Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



GENE.

conatus est de capite effraym et transferre super caput manasse. Dixitque ad patrem: Non ita conuenit pater, quia hic est primogenitus. Pone dexteram tuam super caput eius. Qui renuens ait: Scio fili mi scio. Et iste quidem erit in populos et multiplicabitur. Sed frater eius iunior maior illo erit et semen illius erit in gentes. Benedixitque eis in illo die dicens: In te benedicet Israel atque dicetur: Faciat te deus sicut effraym et sicut manasse. Statuitque ephraym ante manasse. Et ait ad ioseph filium suum: En ego morior. Erit deus vobiscum reducetque vos ad terram patrum vestrorum. Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tulit de manu amorrei in gladio et arcu.

Vocauit XLIX. autem iacob filios suos et ait eis: Congregamini et annunciabo vobis quae ventura sunt diebus nouissimis. Congregamini et audite filii iacob audite israel patrem vestrum. Ruben primogenitus meus tu fortitudo mea et principium doloris mei, prior in donis maior imperio. effusus es sicut aqua. Non crescas quia ascendisti cubile patris tui et maculasti stratum eius. Symeon et leui fratres vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum ne veniat anima mea et in cetu illorum non sit gloria mea. Quia in furore suo occiderunt virum et in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum quia pertinax et indignatio eorum quia dura. Diuidam eos in iacob et dispergam eos in israel. Iuda te laudabunt fratres tui. Manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum. Adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis iuda. Ad praedam fili mi ascendisti. Requiescens accubuisti sicut leo et quasi leena. Quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de iuda et dux de femore eius donec veniat qui mittendus est et ipse erit expectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum et ad vinetum filio mi asinam suam. Lauabit in vino stolam suam et in sanguine vuae pallium suum. Pulchriores sunt oculi eius vino et dentes eius lacte candidiores. Zabulon in littore maris habitabit et in statione navium pertingens usque ad sydonem. Ysachar asinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem quoniam esset bona et terram quoniam optima et supposuit humerum suum ad portandum fasciis et tributis seruiens. Dan iudicabit populum suum sicut et alia tribus israel. Fiat coluber dan in via cerastes in semita mordens ungulas equi ut cadat ascensor eius retro. Salutare tuum expectabo domine. Gad accinctus pugnabit ante eum et ipse accingetur retrorsum. Aser pinguis panis eius et praebit delicias regibus. Neptalim cerui emissus et dans eloquia pulchritudinis. Filius accrescens ioseph filius accrescens et decorus aspectu. Filiae discurrerunt super murum et exasperauerunt eum et iurauerunt habentes iacula. Sed stetit in fortitudine arcus eius et dissoluta sunt uincula brachiorum eius et manuum illius per manus potentis iacob. Inde pastor egressus est lapis israel. Deus patris tui erit adiutor tuus et omnipotens benedicet tibi benedictionibus caeli desuper benedictionibus abyssi iacentis deorsum benedictionibus uberum et uulue. Benedictiones patris tui fortiores sunt benedictionibus patrum eius donec veniret desiderium collium aeternorum fiant in capite ioseph et in uertice nazaraei inter fratres suos. Benyamin lupus rapax. Mane comedet praedam et uespere diuidet spolia. Et omnes hi in tribubus israel duodecim. Haec locutus est eis pater suus benedicens singulis benedictionibus propriis et praecepit eis dicens: Ego adgregor ad populum meum. Sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici quae est in agro ephron hethei contra mambre in terra chanaan quam emit abraham cum agro a heffron